
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY



# DE COLLEGIIS IUVENUM QUAESTIONES EPIGRAPHICAE.

---

## DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI
UNIVERSITATIS REGIAE BAVARICAE
FRIDERICIAE-ALEXANDRINAE ERLANGENSIS

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM RITE CAPESSENDORUM CAUSA PROPOSUIT AUCTOR

**ANTONIUS FLOSS**

COLONIENSIS.

EXAMEN SUPERAVIT IDEM PRIDIE KAL. DEC. MDCCCLXXXXVI.

---

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGII TYPOGRAPHI ACADEMICI

MDCCCXCVII.

MANIBVS PARENTVM

S.

Fundamentum ad collegia tractanda, ut praetermittam Lipsium, Odericium aliosque antiquiores, iecit Mommsenus [1]). Postquam ex illo tempore ad nostram aetatem nemo fere huic rei operam tribuit, nostris diebus singula collegia separatim describi coepta sunt. Atque 1886 Maué quaesivit collegia fabrum centonariorum et dendroforum imperii Romani [2]) et 1888 Schiess satis accurate ex inscriptionibus collegia Romana, quae appellantur funereticia, explanavit, denique 1890 W. Liebenam in libro „Zur Geschichte und Organisation des römischen Vereinswesens“ imprimis, ut ipse in prooemio pg. IV dicit, collegia opificum. In iis, quae sequuntur, collegia iuvenum ex titulis Latinis paulo accuratius contemplemur.

Liebenam de collegiis opificum dicit [3]): Die Inschriften zeigen uns zwar die Verbreitung der gewerblichen Vereine, gewähren auch manchen Einblick in das innere Leben derselben, über ihre Verfassung aber geben sie, von wenigen Fällen abgesehen, keinen direkten Aufschluss. Idem multo meliore iure de collegiis iuvenum dici potest; nam ne unus quidem titulus est inventus, qui album collegii aut leges praebeat.

---

1) cf. De collegiis et sodaliciis Romanorum, Kiliae 1843.
2) cf. etiam Hirschfeld, Gallische Studien III pg. 239 sqq.
3) cf. Liebenam, Zum römischen Vereinswesen pg. 163.

Atque breviter enumerabo provincias urbesque, ubi tituli huc spectantes inventi sunt:

I. Italia.

Reg. I: a. Latium: Anagnia, Fabrateria, Ficulea, Lanuvium, Ostia, Roma, Setia, Tibur, Tusculum, Velitrae.
b. Campania: Capua, Neapolis.

Reg. II: a. Samnium: Beneventum.
b. Apulia: Venusia.

Reg. IV: a. Sabini: Amiternum, Nursia, pagus Ficulanus, Reate, Trebula-Mutuesca, Vallis Canera.
b. Frentani: Casuli.

Reg. VI: Umbria: Ameria.

Reg. VII: Etruria: Alsium, Capena, Falerii, Lucus Feroniae, Nepet, Sutrium.

Reg. X: Venetia: Brixia, Cremona, Verona.

Reg. XI: Italia Transpadana: Aquileia, Augusta Taurinorum, Bergomum, Mediolanium, Navaria.

II. Hispania.

Lusitania: Nescania.

III. Gallia.

a. Aquitanica: Aginnum Nitiobrigum.
b. Alpes maritimae: Vintium.

IV. Germania.

a. Hassia Cisrhenana: Moguntiacum, Zahlbach.
b. Ober-Hessen: Altenstadt.
c. Württemberg: Öhringen, Neuenstadt a. d. Linde, Rottenburg.

## V. Dalmatia.

Narona.

## VI. Pannonia superior.

Poetovio, Brigetio.

## VII. Noricum.

Virunum, Lauriacum.

Inde elucet, quam recte Mommsenus dixerit[1]) collegia iuvenum latissime spargi et commemorari in multis municipiis. Miramur autem, quod nullus titulus collegii iuvenum, qui ad urbem Romam pertinet, adhuc innotuit; nam titulus iuvenum Oeciani (n. 1) quin aliunde forte quadam Romam pervenerit, cum Mommseno nemo dubitabit[2]). Sed Romam praeter euntes collegia iuvenum tota Italia, in omnibus fere provinciis habemns exceptis Britannia et Africa; id quod ita expediam: In Britannia res Romana non ad tantam vim atque auctoritatem pervenit, et tituli ibi eruderati adhuc pauci sunt; in Africa autem tam pauca vestigia omnino omnium collegiorum exstiterunt, ut nemo sit, qui id miretur[3]).

Quod attinet ad nomen, longe saepissime nobis occurrit „iuvenes“ sive „iuventus“ (semel n. 37 habemus „iuvenes collegiati“) aut in titulis Mediolaniensi-

1) cf. Mommsen, de collegiis et sodaliciis Romanorum pg. 83.

2) cf. C. I. L. VI n. 26.

3) cf. Hirschfeld, Gallische Studien III pg. 249 „ . . . Africa, wo überhaupt der Mangel an Collegien sehr bemerkenswert und allem Anscheine nach auf höheres Verbot zurückzuführen ist.“ Liebenam, l. c. pg. 152. „Aus welchen Gründen sich das Vereinswesen in Africa so wenig entwickelte, ist nicht bekannt. Was die gewerblichen Verbände anbetrifft, so kann man auf die dürftige Entfaltung des Handwerkes überhaupt hinweisen (vgl. C. VIII pg. 1102); selbst die sonst so häufigen Collegia fabrum et centonariorum fehlen gänzlich.“

bus n. 55—56 „iovenii“. Si consociationem suam nominatim edunt, invenimus, ut apud ceteras consociationes, „collegium“ sive „collegius“ (n. 19). Forma „conlegium“ nihil est nobis, cum liberae rei publicae aetatis sit propria, inde autem a Nerone, post quem nostros titulos ad unum omnes ortos esse puto, „conlegium“ adhuc non iuventum est[1]). Illud „collignium“ tituli n. 64 nihil nisi rustica forma pro collegio est. N. 22 legimus „convipium“ aut si recordamur b et v, p et f propter affinitatem saepe commutari, „convivium“. „Corpus iuvenum“ semel habemus in titulo Reatino n. 31. Sodalicium, quo vocabulo liberae rei publicae aetate consociationes ad deorum cultum spectantes appellabantur collegiaque funeraticia, in titulo Taurino n. 60 nobis occurrit, ubi non praetermittam adnotare nonnullis locis certas significationes videri usitatas fuisse apud omnia collegia et ad cultum pertinentia et profana. Ita Taurini etiam marmararii, qui sunt collegium opificum, sese appellabant „sodalicium“. Similem in modum Beneventi res se habet, ubi et cetera collegia et iuvenes consociationem suam nominant „studium“ [2]). Graecam denique significationem habemus unam „thiasus“ (n. 71)[3]). Haec omnia vocabula: collegium, convivium, corpus, sodalicium, studium, thiasus, quamquam libera civitate suam quodque vim habebant, imperatorum temporibus sine discrimine mixtim usurpantur.

Venio ad proprietatem quandam collegiorum iuvenum: denominantur in multis titulis a locis, ubi consistunt[4]). Ita nobis occurrunt; iuventus Anagnina

---

1) cf. Mommsen in ephem. epigr. I pg. 79.

2) cf. n. 23 et C. I. L. IX pg. 137; 3) saepius invenimus 'thiasus Liberi'.

4) cf. etiam C. I. L. VI. ad n. 26.

(n. 18), iuventus Artanorum (n. 53), collegium iuvenum Brixianorum (n. 48—50), collegium iuventutis Cons ... (n. 67), iuvenae Corogennates (n. 58), iuvenes Fificulani (n. 24), iuvenes Lanuvini (n. 6), iuvenes Lucoferonenses (n. 44), iuventus Manliensium (n. 73), iuventus Mediolaniensis (n. 57), iuvenes Nemesiorum (n. 62), iuvenes Nepesini (n. 41) iuvenes Oeciani (n. 1), iuventus Sumelocennensis (n. 69—70), iuvenes Tiburi (n. 14), iuventus Trebulae-Mutuescae (n. 36), sodales Tusculani (n. 12 a), collegium iuvenum vici Apollinensis (n. 66), iuventus Vohbergensis (n. 65).

Denique adiungunt collegia iuvenum, id quod etiam alia collogia haud ita varo faciunt, nomen dei aut imperatoris, sive quod ille cultus a magistratibus iis traditus est, sive sua voluntate eum susceperunt. Ita longe saepissime cultus Herculis iuvenibus cordi est: Fabrateriae iuvenes sese cognominant „Herculanos“ (n. 17), Beneventi (n. 23) et in pago Fificulano (n. 24) Herculis cultores; n. 41 invenimus iuvenes Nepesinos Dianenses, n. 16 Capuae iuvenes Augustales [1]), n. 13 iuvenes Antoninianos Herculaneos.

His absolutis transcedamus ad ipsum collegium iuvenum. „Instituitur ad exemplum municipii, qua in re tota eorum natura conclusa est. Cernitur ea imitatio in minimis etiam [2]).“ Sodales sese nominant, qui collegio iuvenum adscripti sunt. Hos sodales et magistratus collegii dici populum, cum sodales soli appellentur plebs, alia collegia verisimile faciunt [3]). Cuius ordinis sodales fuerint, ex titulis non apparet, cum multo maior numerus eorum magistratibus sit dedica-

---

1) Hi iuvenes Augustales non sunt confundendi cum sodalibus Augustalibus, de quibus v. Dessau in eph. ep. III pg. 205.

2) cf. Mommsen, de coll. et sod. pg. 117.

3) cf. Liebenam pg. 182.

tus albumque non servatum. Sed servos in collegia iuvenum admissos esse negari posse puto. De titulo M. Aureli Aug. liberti Agili pantomimi (n. 4), qui dicitur adlectus esse inter iuvenes, non cum Liebenamo consentio, qui putat voce illa „adlegere" significari nihil nisi receptionem in collegium [1]). Equidem verisimile existimo pantomimum illum „sui temporis primum" honoris causa et ut imperatori gratum facerent, adlegisse iuvenes; nobilissimum enim virum fuisse titulus tradit; praeterea eos sperasse puto fore ut in conviviis collegii delectarentur eius arte.

Etiam mulieres in collegia iuvenum recipi potuisse apparet ex titulis nn. 9, 10, 31. Quae quid in collegio voluerint, adhuc obscurum mihi est [2]). Hoc quoque notatu dignum est mulieres in proprium collegium coisse, id quod ex titulo n. 58 elucet; illae appellant sese „iuvenae Corogennates [3]).

Sodales sicut alios, dico fabros, in decurias divisos esse ostendunt tituli nn. 1, 10, 16, 17, 39, 41, 42. Sed si colligere licet ex aliis collegiis, opus non erat, ut quini sodales singulas decurias efficerent. Romae quidem decuria decima collegii fabrum et tignariorum ex viginti duobus sodalibus constabat [4]), cum quarta decuria sodalicii Silvani Romae duos sodales haberet [5].

Nihilo magis pro certo dici potest, quot sodales in singulis collegiis fuerint, quoniam album collegii iuvenum servatum non esse iam supra diximus. Quod autem attinet ad cetera collegia, Plinius numerum centum quinquaginta sodalium collegii fabrum in Nico-

1) cf. Liebenam pg. 170 adn. 2.
2) cf. etiam Liebenam pg. 173 sqq.
3) cf. C. I. L. V pg. 635.
4) cf. C. I. L. VI n. 9405.
5) cf. VI n. 632—633.

media constituendi parvum dicit [1]. Ostiae habent fabri trecentos viginti, cum lenuncularii pleromarii anni CC habeant sedecim tantum [2]. Id autem notabile mihi videtur: magnis in municipiis sive coloniis suum quisque vicus collegium iuvenum habebat, id quod apparet ex n. 71, in quo titulo collegium iuventutis vici Apollinensis Moguntiaci traditur [3].

Transeamus ad magistratus collegiorum iuvenum. Esse solent summorum ordinum, senatorii vel equestris; unum tantum libertinum invenimus: T. Trebulanum aedilem invenum Tiburi (n. 14). Iisdem viris eadem munera iterum ac saepius deferri poterant [4]. Dubium autem est, num in perpetuum magistratus creari potuerint [5]. Interdum etiam factum est, ut idem vir diversos magistratus administraret. Ut exempla afferam, M. Pontius Felix aedilis et curator iuvenum erat (n. 11), L. Sulpicius Clemens et magister iuvenum et praetor (n. 42), M. Silius Epaphroditus et magister iuvenum iterum et patronus (n. 46). Saepe unus vir nobilis in diversis collegiis magisterio fungitur. Ut praetermittam ceteros, titulum n. 2 commemoro, in quo Cn. Sentius dicitur quaestor iuvenum, quinquennalis curatorum navium marinarum, gratis adlectus inter navicularios maris Hadriatici et ad quadrigam fori vinari, deinde patronus viginti collegiorum [6]. Sed quomodo creati sint, quo die inierint magistratum, num per magistratum fuerint immunes, num licuerit honores oblatos

1) Plin. ep. XXXIII ad Trai.

2) cf. C. I. L. XIV n. 256.

3) Bonn. Jhrbch. LXVII pg. 10.

4) cf. n. 38: mag. iuvent. bis, praef. fabr. ter; n. 46: mag. iuvenum iterum; n. 27: mag. iuven. prim.

5) cf. Liebenam pg. 199 adn. 3.

6) cf. etiam titulos Brixianos n. 51: in omnibus collegiis magisterio perfunctus; n. 52: patronus collegiorum omnium.

propter magnum sumptum, quem afferebunt, recusare, haec omnia incerta sunt [1]). Hic mihi liceat Schiessii verbis uti, quae non modo ad collegia funeraticia quadrant, sed etiam ad iuvenes: Über die Behörden der Collegien lassen sich trotz der zahlreichen Erwähnungen leider nicht so genaue Angaben machen, als wünschenswert wäre, besonders das gegenseitige Verhältnis und die Verteilung der Funktionen kann nicht immer scharf abgegrenzt werden, weil wir nur in wenigen Fällen alle Beamten eines Collegiums kennen, dagegen bei einem blos von diesen, bei einem andern von jenen unterrichtet sind [2]).

At inspiciamus singulos magistratus primumque tractemus magistros. Magistri summi magistratus collegiorum sunt (in nonnullis collegiis magistri omnibus muneribus funguntur). Munus eorum vocatur magisterium, ut apparet ex titulo n. 52. Durasse id unum annum comprobat Schiess [3]); sed nihilo minus nobis occurrunt magistri quinquennales [4]) sive quinquennales dicti i. e. magistri in quinquennium dicti [5]). Magistros iuvenum praebent tituli nn. 25, 26, 27, 29, 30, 31, 32, 33, 34, 35, 36, 38, 42, 46, 61, 73, in quibus n. 26 eam ob rem notandus est, quod habet inverso verborum ordine „iuvenum magister". Magistros iterum ac saepius munere fungi potuisse, videmus ex titulis n. 27 (magister iuvenum primum) n. 46 (magister iuvenum iterum), n. 38 (magister iuventutis bis). Magistros primum locum inter magistratus collegiorum

---

1) cf. tamen Liebenam pg. 199 sqq.

2) cf. Schiess, Die römischen Collegia funeraticia, München 1888 pg. 41.

3) cf. Schiess l. c. pg. 44.

4) cf. n. 15.

5) n. 30 dicitur quinquennalis perpetuus sevirorum Augustalium.

obtinuisse inde apparet, quod in aliis collegiis eponymi sunt [1]).

Quae fuerint magistris facienda in collegio ex titulis cognosci non potest. Dirksen dicit: Über die Thätigkeit dieser magistri geben die Quellen keinen genügenden Aufschluss; indes alles spricht dafür, dass dieselben vornehmlich bestimmt gewesen seien, die inneren Verhältnisse ihrer Commune zu inspicieren und über deren Statuten zu wachen; dass sie berechtigt gewesen sind, sich als Repräsentanten ihrer Commune der Rechtsstreitigkeiten derselben anzunehmen, ist gewiss [2]). Hac in re non est obliviscendum magistros, si unici magistratus collegii sunt, omnibus muneribus fungi [3]). Maiores tituli n. 23 videntur mihi iidem esse, qui alibi magistri vocantur [4]).

Agedum contemplemur curatores. Multo rarius, quam magistri in titulis commemorantur (nn. 11, 40, 62). Ex titulo (n. 62) Hispaniensi, in quo tres curatores dicuntur, colligere possit aliquis aedificia eorumque ornamenta curatoribus fuisse curae [5]).

Curatoribus aliquo modo similes fuisse quaestores dicit Schiess [6]). Puto plerumque duos quaestores fuisse, quorum alterum ab altero custoditum esse verisimile est [7]). Praeerant arcae collegii et stipes sodalium acci-

---

1) cf. Schiess, pg. 46.

2) cf. Dirksen, Civilistische Abhandlungen II. Band Berlin 1820 pg. 57, similia dicunt Schiess l. c. pg. 46 et Liebenam pg. 205.

3) cf. Asconius ad Cic. in Pis. c. 4: Solebant autem magistri collegiorum ludos facere . . . .

4) cf. Schiess pg. 52.

5) In collegiis fabrum, qui in municipiis muneribus vigilum Romanorum fungebantur, erant curatoribus instrumenta ad ignes compescendos conservanda cf. C. I. L. V 3387 = Or. 4003.

6) Schiess pg. 61.

7) cf. Liebenam pg. 208.

piebant et sportulas dividebant. Duo tantum tituli praebent quaestores: n. 2 et n. 72.

Praetores in nullo collegio adhuc innotuisse puto, nisi in iuvenum[1]). Bis commemorantur: n. 42 praetoris iuvenum Nepesinorum eiusdem magistri iuvenum mentio fit; n. 47 dedicant praetori iuventutis decuriones et Augustales et populus Sutrii. Sed de munere praetoris nihil ex titulis concludas. Ceterum varii magistratus collegiorum non tanti momenti esse videntur, ut in unoquoque quaeramus, quibus muneribus sit functus, sed ex nulla alia causa dictos sive creatos esse puto, nisi quod sodales consociationem suam quam accuratissime ad exemplum rei publicae ordinare volebant.

Rarissime in aliis quoque collegiis aediles commemorantur[2]). Titulorum tres habent aediles: n. 76 Lauriaci (in Norico) duo aediles votum solvunt, n. 11 Tusculano in titulo aedilis etiam curator sodalium fuit.

Praefectos, qui exempli causa in collegiis funeraticiis bis tantum iuveniuntur[3]), tituli habent ter: n. 5 Lanuvii, n. 16 Capuae, n. 72 Poetovione (in Pannonia Superiore) duo praefecti dicuntur. Sunt, qui putent praefectos semper ad militarem quandam formam collegiorum spectare, sed ex titulis nihil eiusmodi elucet[4]).

Denique commemorandi sunt decuriones, qui saepius et in collegiis ceteris notantur[5]) et in collegiis

---

1) cf. Liebenam pg. 209.

2) cf. Liebenam pg. 209.

3) cf. Schiess, pg. 52.

4) cf. Hirschfeld, Gall. Studien III pg. 252 adn. 1: praefecti collegiorum sind überhaupt nicht häufig und deuten wohl regelmässig auf eine quasi-militärische Organisation hin. Ich finde sie nur bei den fabri, sodann bei den centonarii, dendrophori, nautae Rhodanici etc.

5) cf. Liebenam pg. 192.

iuvenum. Verisimile videtur suum quamque decuriam creasse decurionem. Si conferimus decuriones collegiorum cum decurionibus municipiorum putet aliquis, etiam collegiorum decuriones in perpetuum dici, sed tituli sunt, in quibus traditur: decurio iterum sive bis [1]). Nihil autem est causae, cur putemus apud invenes rem aliter sese habuisse. Quod attinet ad munus decurionum, dant locum ad statuendos in memoriam mortuorum cippos sive aras; formula usitata est L · D · D · D i. e. loco dato decreto decurionum sive locus etc. [2]).

Cum in collegiis iuvenum magistratus innotuerint, quos alibi non iuvenimus, scribas viatores, defensores actores aliosque [3]) frustra quaerimus in nostris titulis.

Omnes magistratus, quos tractavi, dicuntur gradus collegii, infimum autem gradum sodales, qui munere non funguntur, efficiunt [4]).

Restat, ut de patronis dicamus, qui honoris causa in collegia recipiebantur. Cooptant [5]) collegia patronos eos, qui dignitate excellunt atque divitiis suis collegio utilitates afferunt [6]). Decem tituli patronis dedicati sunt [7]). Summis in re publica muneribus funguntur senatoriique vel equestris ordinis sunt; duumviros et quattuorviros habemus in titulis nn. 2, 16, 17, 59,

1) cf. Schiess pg. 62 sqq.

2) cf. nn. 10, 16, 17, 35, 39, 41, 46 cf. etiam n. 50; n. 18 cogitandum est de decurionibus municipii Anagniae.

3) cf. Liebenam pg. 211 sqq.

4) cf. Orelli n. 4075.

5) „cooptare“ etiam apud patronos municipiorum term. techn. est cf. Philippi in Rhein. Mus. VIII pg. 499. Etiam patronorum tituli documento esse possunt collegia ad exemplum rei publicae sese constituisse cf. ibid. pg. 512.

6) cf. Liebenam pg. 212.

7) cf. titulos nn. 2, 6, 16, 17, 19, 23, 28, 46, 52, 59.

equites Romanos equo publico nn. 19, 52. Liebenamum recte dicere[1]) collegia libenter cooptasse patronos municipii vel coloniae apparet ex titulis nn. 17, 28, 52. Ut tiluli dicunt, patronus cooptatur „ob merita“ (n. 17), „propter exempla munificentiae“ (n. 19) „ob renovatum lusum iuvenum“ (n. 18) „quod amphitheatrum sua pecunia fecit dedicavitque“. Sed non modo ob beneficia, quae cooptandus iam dedit, sed etiam ob ea, quae cooptatum daturum esse sperabant, homines nobiles patroni fiunt, id quod non verentur sodales clare aperteque dicere. Nam in titulo n. 23 legimus: „plus speramus beneficia uberiora post nos consequituros, cuius in praeterito summam dignationem sensimus et ideo cooptamus Rutilium Viatorem patronum“. Inde evenit, ut munus patroni collegii magnum sumptum afferret. Immo pro titulis sive statuis, quae collegia iis dedicant, impensam non modo ipsi solvere solent „honore contenti“ [2]), sed insuper ob dedicationem sportulas dividunt [3]). Fit etiam, ut unus complurium collegiorum vel omnium sui municipii patronus cooptetur. Cn. Sentius enim, ut praetermittam alia munera, patronus viginti collegiorum Ostiensium erat [4]) et Sextus Valerius Brixianus traditur patronus collegiorum omnium [5]). Iuvenes Beneventi [6]) non contenti sunt uno patrono, cooptant complures. Etiam militares homines hoc

---

1) cf. Liebenam pg. 212 adn. 3. So hatten die Genossenschaften mittelbar Einfluss auf die Stadtverwaltung.

2) cf. nn. 16, 35.

3) cf. n. 17: „Ob cuius dedicatione singulis discumbentibus dedit sestertios binos et donavit sestertium duo milia nummum, ut ex usuris eorum die natali eius Non. Mai. omnibus annis sportulae dividantur iuvenibus.“

4) cf. n. 2.

5) cf. n. 50.

6) cf. n. 23.

munere fungi potuisse videmus ex fragmento n. 6 [1]). Fieri quoque poterat, ut ii, qui iam aliis muneribus in eodem collegio fungebantur, patroni cooptarentur [2]).

Patronae, quae in aliis collegiis innotuerunt, mihi in titulis collegiorum iuvenum non occurrerunt, nisi Octavia Tigris in titulo Veronensi (n. 47) patrona iuvenum nominatur.

De interna vita collegiorum nihil fere ex titulis elucet, neque enim album collegii neque leges inventa sunt. Haec similem in modum atque in ceteris collegiis etiam in iuvenum quin acta sit, nemo dubitet [3]).

Iam de re pecuniaria pauca dicamus. Collegiis bona sibi colligere licitum est [4]). Mommsen, cum de hac re agit, dicit [5]): „Arcam communem habet et societas et collegium neque alia agunt utrique nisi ut commoda quam maxima sibi comparent.“ Quae quam recte dixerit, ex iis, quae sequuntur cognoscemus. Quamquam de capitulario stipibusque menstruis et multis commissis sodalium ex titulis nostris omnino nihil comperimus [6]), tamen de dedicationibus pauca discimus. Habemus enim nonnullos titulos, in quibus collegio iuvenum ad certas res capita donantur. N. 49 dantur in tutelam sestertii D, ad quid, non dicit titulus; n. 17 patronus iuvenum Fabrateriae donat sestertium duo milia nummum, ut ex usuris die natali eius non. Mai. omnibus annis sportulae dividantur iuvenibus; n. 30 C. Oppius „ob statuam, in quam contulerunt iuvenes, donavit sestertium IIII milia nummum, quam summam ita donatum habebunt, ut perpetuo annis sin-

1) cf. Liebenam pg. 216.
2) cf. n. 46: magister iuvenum iterum, patronus.
3) cf. Liebenam pg. 220.
4) cf. Dirksen, Civil. Abhandl. II. 1820.
5) cf. Mommsen, de coll. et sod. Rom. pg. 118.
6) Schiess, Die röm. Coll. fun. pg. 81 de his rebus egit.

gulis die natali ipsius ex usuris sportulas praesentibus dividant." N. 39 curator lusus iuvenum ob statuae dedicationem dedit iuvenibus sestertium triginta milia nummum adiecto pane et vino epulantibus. Nonnumquam minantur ii, qui dedicant, legatum, si collegium id, quod praescripsissent, neglexerint, ad alios transiturum esse. Huc spectat n. 54, in quo titulo M. Cabarsius Patiens quidam dedit denarios viginti, ut profunderentur de usuris denarii tres, et pergit: Quodsi neglexerint, filio eius reddere debebunt denarios viginti, aut si quis heres fuerit." N. 58 in memoriam filiae mortuae dant parentes superstites iuvenis Corogennatibus denarios quadringentos, ex quorum reditu quotannis tempore Parentaliarum et rosae coronae ternae ponantur at profusiones suo quoque anno fiant, ad haec clausulam adicientes: quodsi iuvenae non fecerint, restituere debebunt vicanis Corogennatibus et illi id observabunt. Quorum omnium titulorum maior pars Italiae Superioris est apparetque, quam bono iure Liebenam dixerit[1]): Bemerkenswert sind die zahlreichen Schenkungen bei Collegien in den Städten Ober-Italiens, wo das Vereinswesen in besonderer Blüte gestanden zu haben scheint. Qua in re Liebenam non silentio praeterit in Italia talia dona accipere licuisse, rarissime contra in provinciis. Imprimis ii, qui honoribus funguntur aut functi sunt, in collegium gratos se praestant dedicationibus legatisque[2]).

Etiam agros acquirere iuvenibus licuisse titulus n. 24 ostendit, in quo iuvenibus Fificulanis Sex. Aiadius Agatheme quidam testamento reliquit agri plus minus ingera centum.

Quibus ex omnibus dedicationibus elucet, quanta

---

1) cf. Liebenam pg. 249 adn. 2.

2) cf. etiam nn. 40, 62.

pietate atque liberalitate sodales in collegium suum fuerint quantasque divitias collegia possidere potuerint[1]).

Sed etiam magnae impensae quin fuerint faciendae, non est dubium: sacra erant perpetranda, statuae honorificae erigendae, aedificia exstruenda conservandaque, diebus festis epula paranda, funeraticia solvenda. Sed de his omnibus rebus certum quidquam ex titulis nostris conicere nequimus.

Collegia conveniebant in domum suam, quam invenes templum sive aedem appellavisse videntur[2]). Exornare solebant has domus statuis deorum atque hominum bene meritorum de collegio[3]). Ibi epula fiebant atque conventus. De iis quae agebantur in conventibus cum ex titulis nihil eluceat, satis est verba legis Dianae et Antinoi protulisse: item placuit, si quis quid queri aut referre volet, in conventu referat, ut quieti et hilares diebus solemnibus epulemur[4]).

De dis deabusque patronis iuvenum pauca sequantur. Nonnumquam collegia iuvenum a dis deabusve sive imperatoribus sese denominasse supra iam vidimus. Quae ut paucis complectar, imprimis Hercules patronus iuvenum fuisse videtur, id quod mirandum non puto, cum ille sicut nemo deus virtutes, quae invenes ornant, praebuerit, itaque iuvenibus optimo iure lumen praetendi possit[5]). Tum a Diana se denominant et a diversis imperatoribus. Undecim vero

---

1) cf. Liebenam pg, 250.

2) cf. nn. 1, 62, alia collegia appellaverunt scholam sive basilicam cf. Liebenam pg. 275.

3) cf. n. 1 et Schiess pg. 77 sqq.

4) cf. C. I. L. XIV n. 2112 = Henzen n. 6086.

5) Ita Mercurius patronus mercatorum fuit, cf. Liebenam pg. 291, Asclepius, Hygia medicorum.

titulos habemus sive dis sive deabus dedicatos: n. 54 Herculi, n. 73 Herculi invicto, n. 75 .Genio Augusti, nn. 65—67 Genio collegii iuventutis, n. 70 Dianae, n. 74 Eponae, n. 25 Felicitati Avaeae[1]), n. 21 Fortunis Antiatibus, n. 76 Nymphis. Interdum non omittunt dedicatores nomen imperatoris aliquo modo adicere, sive ut eum deo commendare velint sive sibi conciliare; ita titulus n. 73 praebet: Herculi invicto pro salute Augusti; n. 74: Eponae pro salute Augusti, n. 70 Dianae in honorem domus divinae. Imperatori ipsi sacratus est titulus Tiburtinus, n. 8: Ti. Caesari, divi Augusti filio, divi Iulii nepoti Augusto.

Quid loquar de sacris. Ut Dirkseni verbis utar[2]): „sacra bilden die Bedingung ihrer (der Collegien) Consistenz und werden als äusseres Erkennungszeichen, ja nicht selten als Vorwand eines vom Staate beglaubigten Communalwesens gebraucht.“ Cuius autem generis sacra collegiorum iuvenum fuerint, non elucet ex titulis.

Sacris praesunt in collegiis iuvenum sacerdotes. Hoc munus in aliis collegiis magistrorum est[3]). Unum sacerdotem collegium quodque habuisse videtur. Invenimus Anagniae (n. 18) sacerdotem iuventutis An[agn]inae, Veronae (n. 47) sacerdotem iuvenum, Brixiae (n. 49) sacerdotem collegii iuvenum Brixianorum vel (n. 50) sacerdotem iuvenum Brixian., Mediolani (n. 57) sacerdotem iuvenum Mediolaniensium. Etiam sacerdotes plerumque summis in muncipio sive colonia muneribus functi sunt. Anagninus fuit patronus muni-

---

1) Avaea videtur denominata fuisse Felicitas a gente Romana Avaea, quae in titulo Interacrii (quod situm est haud procul ab Amiterno, si in occidentem nos vertimus) invento commemoratur (cf. C. I. L. IX 4647). Huic genti cultus Felicitatis proprius fuisse videtur.

2) cf. Dirksen, Civil. Abh. II pg. 8.

3) cf. Schiess pg. 51, Liebenam pg. 287.

cipii, quinquennalis, quaestor bis; Brixianus eques Romanus, flamen divi Iuli, praefectus aedil. pot. quaestor aerarii, defensor rei publicae Brixianorum; Mediolaniensis (n. 57) decurio, pontifex; unus Veronensis fuit libertus.

Semel in titulo n. 51 officiales commemorantur, per quos sacrificetur. Liebenam (pg. 287) ministros eos putat (nescio an sacerdotum), quales etiam apud legatos provinciarum dicuntur, cum Schiess (pg. 50) dicat, officiales esse id magisterium, ad quod functiones sacerdotales magistri transierint. Sed utrum hic an ille recte dixerit, non disceptem.

Nunc pauca de ludis, quae cum sacris coniuncti fuerint. Videntur ludi Iuvenales a Nerone instituti[1]) iuvenibus faciendi fuisse[2]). Magnus numerus titulorum nostrorum huc pertinent[3]). Titulus Tusculanus (n. 12) dicit sodales lusus iuvenalis, cum in ceteris fere omnibus curatores lusus iuvenalis sive iuvenum tradantur[4]). Titulus (n. 19) Anagninus dedicatus est patrono invenum 'ob renovatam ab eo lusus iuvenum' (sic). Si quaerimus, quibus in urbibus ludos fieri tituli dicant, invenimus Ostiam, Tusculum, Anagniam, Velitras (urbes Latii), Ameriam (Umbriae) Capenam (Etruriae), quae omnia loca haud ita multum a Roma distant. Quare verisimile videtur Iuvenalia a Nerone instituta proxima vicinitate Romae non excessisse.

Ad extremum si interrogamus, quem ad finem instituta sint collegia iuvenum, quoque tempore, etiam

1) cf. Tacitus ann. XIV 15 (Nero) instituit ludos Iuvenalium vocabulo.

2) cf. n. 45 ludos et Iuvenalia dederunt.

3) cf. nn. 2, 8, 19, 21, 39, 45.

4) Ceterum mos fuisse videtur, ut magistri collegiorum ludos facerent cf. Asconius ad. Cic. in Pis. c. 4. Solebant autem magistri collegiorùm ludos facere.

hac de re certum quidquam dici non potest [1]). In mentem mihi venit ad militiam aliquo modo spectavisse collegia iuvenum et sicut veterani in collegia coissent stipendiis factis, ita iuvenes, priusquam stipendia facerent [2]). Admoneam tituli (C. I. L. VII n. 1377) 'missus ad iuventutem per Italiam legendam' aliorumque similium; admoneam praefectorum [3]), qui ubi existunt, indicant militarem quandam formam collegii [4]).

De tempore, quando instituta sint collegia iuvenum, Mommseni-Liebenami coniectura, a Nerone instituta esse collegia iuvenum, probari non potest [5]). Quamquam enim tituli collecti a me ad unum omnes aetatis imperatoriae sunt [6]), unus titulus nuper mihi occurrit, Oscus Pompeiis inventus [7]), quem Nissen non sine iustis causis aetati, quae fuit ante Sullanas colonias, attribuit. Sed etsi hoc modo coniectura Mommseni-Liebenami in se

---

1) Liebenam pg. 260 dicit: Die Bestimmung mancher Vereine ist unerklärt, so die in beinahe allen Städten vorhandenen Genossenschaften der iuvenes.

2) cf. Mommsen in Bericht. d. Sächs. Ges. 1852 pg. 197 ad titulum Germanicum n. 67: Unzweifelhaft waren in diesem Militärgebiet auch die Bürgerschaften militärisch organisiert, und es ist kein Wunder, wenn die 'streitbare Mannschaft', die Landwehr, hier besonders hervortritt. cf. etiam Nissen, Pomp. Stud. pg. 169.

3) nn. 5, 16, 72.

4) cf. Hirschfeld, Gall. Stud. III pg. 252 adn. 1: praefecti collegiorum sind überhaupt nicht häufig und deuten wohl regelmässig auf eine quasi-militärische Organisation.

5) cf. Mommsen, de coll. et sud. pg. 83: Collegia iuvenum, quae a Nerone instituta creduntur . . . Liebenam pg. 34: Bei den Juvenalien stiftete Nero die collegia iuvenum.

6) Quod Orellius titulum Lanuvinuum n. 5 propter omissum cognomen liberae civitatis aetatis esse putabat, id Hermannus Dessau optimo iure reiecit cf. C. I. L. XIV n. 2121.

7) cf. Nissen, Pompejanische Studien pg. 168 (Fabretti 2791). Satis sit perscripsisse latinam conversionem Nisseni (?) (Textum Oscum etiam Nissen l. c. tradit):

corruuit, tamen pro certo dici non potest, quando instituta sint collegia iuvenum, praesertim cum scriptores antiqui nihil memoriae tradiderint, quod huc pertineat.

Finem facio. Quamquam non ignoro eas quaestiones, quas ad extremum attigi, non satis me examinasse, tamen credo nullum titulum huc spectantem me praeterisse; atque operam navavi, ut, quaecumque ex titulis collectis conicere licet, cruerem.

---

Sequuntur tituli secundum regiones ordinati.

## I. Italia.

### Regio I Latium, Campania.

**1.** Roma (C. I. L. VI 26).

Fabius Demetrius et Caecilus | Philon aedem cum sigillo | Apollinis iuvenibus Oeciani d. d. d. d.

**2.** Ostia (XIV 409).

Cn. Sentio Cn. fil. | Cn. n. Ter. Felici | dec. decr. aedilicio adl. d. d. d. adl. | q. a. Ostiens, II vir. q. iuvenum | hic primus omnium quo anno dec. adl. est et | q. a. fact. est et in proxim. annum II vir. designat. est | quinq. curatorum navium. marinar. gratis adlect. | inter navicular. maris Hadriatici et ad quadrigam | fori vinari patrono decuriae scribar. cerarior. | et

---

Vibius Adrianus V. f. quam pecuniam
iuventuti Pompeianae testa
mento dedit, ea pecunia
Vibius Vinicius Marae f. quaestor Pomp.
eianus hanc domum conventus senten-
tia faciendam
dedit, idem probavit. cf. Nissen pg. 168 sqq.

librarior. et lictor. et viator. item praeconum et | et argentarior. et negotiator. vinarior. ab urbe | item mensor. frumentarior. Cereris Aug. item corpor. | scaphariorum. et lenunculararior. traiect. Luculli et | dendrophorum et togator. a foro et de sacomar. | et libertor. et servor. publicor. et olearior. et iuven. | cisianor. et veteranor. Aug. item beneficiarior. proc. | Aug. et piscator. propular. curatori lusus iuvenalis | Cn. Sentius Lucilius | Gamala Clodianus. f. | patri indulgentissimo.

**3.** Ostia (eph. ep. VII 1224).

C. Bibius | Felician | us iube | nibus d. d.

**4.** Lanuvium (XIV 2113).

M. Aurel. Aug. lib. | Agilio Septentrio | ni pantomimo sui | temporis primo sacerdo | ti synhodi Apollinis pa | rasito alumno Faustinae | Aug. producto ab imp. M. | Aurel. Commodo Antoni | no Pio Felice Augusto | ornamentis decurionat. | decreto ordinis exornato | et allecto inter iuvenes | s. p. q. Lanuvinus.

**5.** Lanuvium (XIV 2121).

M. Valerio M. f. | aed. dict. | praef. iuventutis | municipes compitenses veicorum | quinque quod. specus millia | passus tria milia purgavit refecit | fistulas reposuit balnea virilia | utraque et muliebre de sua | pecunia refecit populo viscerati. | gladiatores dedit lumina ludos | I. S. m. r. solus fecit.

**6.** Lanuvium (XIV 4178b).

Dessau legit: [Medico ordinario legionum duarum XXII] primig. Germ. | p. f. item Germ. | XXX U. v. qua[estori] | patrono et civi[ordo] | iuvenum Lanuvin[orum] | ob merita eius.

**7.** Ficulea (XIV 4014).

Hos titulos explicat Hermannus Dessau ita:

vv. 1—3 agitur de opere publico quod dedicavit Cerinthi eius, cuius sunt nn. 4012—4013, filius. Deinde recensentur corpora vel genera hominum, quae, cum opus dedicaretur vel epulo vel sportulis honorata sunt. Agnoscuntur decuriones, seviri Augustales, incolae, corpus libertinorum, corpus iuvenum, in fine videntur fuisse utriusque sexus pueri ingenui.

**8.** Tusculum (XIV 2592).

[Ti. Caesari divi] Augusti filio divi Iuli nepoti Aug[usto] | [pontifici maxi]mo trib. potest. XXXIII cos. V imp. VIII . . . | . . . . . l. Priscus filius curator lusus [iuvenalis].

**9.** Tusculum (XIV 2631).

Flaviae C. f. | Tarentinae | municipi et | sodali | Cornelia D. f. | Secunda | mater posuit.

**10.** Tusculum (XIV 2635).

Plantiae | A. f. | Olympiadi | sodalis | iuvenum | l. d. d. d.

**11.** Tusculum (XIV 2636).

M. Pontio M. f. | Quir. Felici | senatori aedil. | munic. sodal. | itemq. aedil. | et curat. sodal. iuvenum cf. XIV pg. 254 | municipes et | incol. ex a. c. | ob innoc. et ad | siduit ceterasq. | administr. eius | posit VIII K. Iunias M. Antonio Rufino | S. Octavio Lenate | cons.

**12.** Tusculum (XIV 2640).

Sodales | lusus | iuvenalis.

**12a.** Sodales Tusculanae vel sodales Tusculani.

**13.** Tibur (XIV 3638).

Aeliae . . . . | Tranquill . . . . | Marci Festi . . . | et a memor . . . | Antonini Pii[felicis] | invicti ma[ximi-

que] . . . | Aug. | s. p. q. Tiburs [et] | iuvenes Anto[niniani] | Herculanii.

**14.** Tibur (XIV 3684).

T. Trebulano | T. f. Cam. nepoti | Herc. Aug. | T. Trebulanus T. lib. Nepos Herc. | Aug. aedil. iuvenum Tiburi | Publicia Saturnina coniux.

**15.** Neapolis (X 1493).

Dis Man. sacr. | C. Octavio C. f. Maec. Vero | praef. iuven. equo publico ad | lecto in V decur. exornato | militiae praef. coh. . . . . icae | flamini Virbiali et auguri et | aedili Augustali qq. iuvenum | Postumia Procula uxor | marito karissimo et Octavia C. f. Vera filia) patri optumo fecerunt.

**16.** Capua (X 3909).

Ti. Claudio | Ti. f. Pal. | Rufino equo | publ. praef. fabr. | II vir. q. honore | quinq. iuvenes | Aug. patrono | quorum honore | contentus impens. sua posuit | l. d. d. d.

**17.** Fabrateria (X 5657).

. . . Septimo L. f. Tro. Herm[eti?] | IIII vir. qq. pat. mun. Fabra[teriae] | vet. curat k. arce decur. om | nibus honoribus et muneribus | perfuncto iuvenes Herculani | dignissimo pat. ob merita eius | e collato posuerunt ob cuius | dedicatione[m] sing. discumbent | [dedit S II et donavit eis SS II [milia] | [nummum] ut ex usuris eorum die natali | eius V non. Mai. omnibus annis | sportulae dividantur iuvenibus | l. d. d. d.

**18.** Anagnia (X 5909).

Ti. Cl. Ti. fil. Pub. Crescentia | no P. m. qq. praet. q. bis sacer | doti iuvent. Aninae s. p. q. A. | amantissimo sui ac praes | tantissimo ob nimiam eius |

erga municipes patriamque ad | fectionem quod is in hono | ribus enixe adque impenssime | in omnibus patriae suae lar | giter functus sit dignissimo pa | trono poni censuerunt l. d. d. d.

**19.** Anagnia (X 5928).

P. Vegellio P. f. Pub. Primo | eq. R. II vir. q. alim. cur. pec | annon. q. aerar. arcae pu | b. cur. rp. Trebanorum ex | semplis munificentiae sua | e optime merenti collegius i | uvenum patrono dignissimo | ob renovatam ab eo lusus iuve | num quod vetustate temporum | fuerat obliteratum ob quam hon | oris huius oblationem die nata | lis sui eidem collegio V Kal. Oct | . . .

**20.** Setia (X 6465).

Eros vivas | C. Oppio C. f. (Pompon.?) | ius[tissimo viro eidem] plen[o humanitatis collegium] | iubenum ob eximium | amorem eius meren | ti p. c. S. ob quem | [honorem quod in] statuam | contulerunt dona | vit SS IIII m. n. quam sum | mam ita donata habe | bit per annis sing. die | natali ipsius ex usuris | summae s. s. sportulas | presentib. dividant et dec. ob quam ded. omni | bus divisit . . . . . .

**21.** Velitrae (X 6555).

M. Ofasius | Firmus Marus | Cornelius Mari f. | Clu. Cossinus | praefectus fabrum | tribunus militum | leg. XIIII gemin. victric. | curator lusus iuven. | II vir patronus colon. | Fortunis Antiatibus | d. d.

**21a.** Cum curatore lusus iuvenum Veliternorum recte componemus tesseras plumbeas Velitris repertas, inscriptas alteram: „Feliciter municipibus Veliternis et Iuvenalia Veliterna feliciter"; alteram: Gerano curatori feliciter et sodalibus Veliternis feliciter.

Reg. II Calabria, Apulia, Hirpini.

**22.** Venusia (IX 452).

D. M. | .. Titulei festivi qq. c ... | l ... d ... - p ... n ... | pro ep. convipium. iu ... | Ven. m. reoli.

Supplere conatus sum: Dis Manibus. Titulus restitutus quinquennalis curatoris ludorum publicorum Venusinorum pro epulo convipium (=convivium) iuvenum vene (pro bene) merenti ...

Sed, quam incerta sint, non ignoro.

**23.** Beneventum (IX 1681).

Impp. Licinio Valeriano | Aug. IIII Licinio Gallieno Aug. III | cos. Idibus Martis | quod coeptum studi iuvenum | cultorum dei Herculis maiores | retulerunt patronum cooptandum | plus speramus beneficia uberiora pos se[debuit esse post nos] consequituros cuius in praete | rito summa dignationem sensimus et ide | o cooptamus Rutilium Viatorum patronum cum iis qui infra s. s. Nonium Gra | tilianum c. v. et Egnatium Sattianum c. v. | plerosque splendidos equites Romanos | et concuriales eiusdem Viatoris qui [„per“ inser.] | dignatione[m] sua[m] et merita provocave | runt offerre per Numerium Numeria | num Attic. et maiores eorum.

Reg. IIII Samnites, Frentani etc.

**24.** Pagus Fificulanus (IX 3578).

Iuvenes Fificulani Herculis | cultores Sex. Aiadius Agatheme | iuventuti test. reliquit a. pl. m. iug. | **Sequuntur plura nomina iuvenum, quorum maior pars mutilata est aut plane interiit.**

**25.** Amiternum (IX 4457).

D. M. s. | Sex. Caleno Sex. f. | Prisco | mag. iuvent. | Avaeae Felicitatis.

**26.** Amiternum (IX 4520).

D. M. s. | C. Cuspio C. f. | Poppaeano | iuvenum magistr. | VIII viro quaestori . . . .

**27.** Nursia (IX 4543).

Sex. Petronius | Sex. fil. | Sempronianus | VIII vir. | aedil. pot. | mag. iuven. prim. Sex. Petronius | G. l. Zmaragdus Aug.

**28.** Nursia (IX 4546).

Q. Zaturio Q. f. | Quir. Maximo | patron. mun. et | patron. iuven. | fratri piissimo | Saturia Q. f. | l.

**29.** Nursia (IX 4549).

Legi . . . | VIII vir. aed. . . . | Sefitio s . . . magistro [iuvenum] | convoc . . . quinquennal . . . | vixit a . . . | Q. Luviano . . . | Q. Luviano. Q . . .

**30.** Reate (IX 4691).

T. Fundilio Gemino | VI vir. Aug. mag. iuv. | Augustales | patrono et quinq. perpetuo | optime merito | hic arcae Augustalium se vivo | HS XX dedit ut ex reditu eius summae | die natali suo IIII K. Febr. | praesentes vescerentur | et ob dedicationem statuae | decurionib. et seviris et iuvenib. sportulas | et populo epulum et oleum | eadem die dedit.

**31.** Reate (IX 4696).

D. M. | Valeriae Iucundae | quae fuit corpore iuv. | vixit annis XVII m. IX | T. Fl. Sabinus | VI vir. Aug. | mag. iuv.

**32.** Vallis Canera (IX 4753).

P. Prifernio | P. f. Qui. Paeto | Memmio Apollinari | IIII vir. iur. dic. quinq. mag. iu. | praef. coh. III Brenc. trib. leg. X | gem. praef. alae I Asturum donis | donato exped. Dac. ab imp. | Traiano hasta pura vexillo | corona murali proc. provinc. | Sicil. proc.

provinc. Lusitan. proc. XX her. proc. prov. Thrac. | proc. prov. Noricae | P. Memmius P. f. Qui. | Apollinaris | patri piissimo.

**33.** Vallis Canera (IX 4754).

D. M. | C. Annaeo | C. f. Qui. | Pudenti | mil. coh. IIII pr. vet. | C. Annaeus | C. fil. Qui. | Pastor | IIII vir. iur. dic. a. p. | mag. iuv. q. r. p. | patri dulcissimo.

**34.** Trebula Mutuesca (IX 4883).

C. S . . . | c . . . | Mu . . . | VIII vir. du . . | mag. iuven . . . | cons. ord . . . | ex decr. d . . . |

**35.** Trebula Mutuesca (IX 4885).

Q. Livio Q. f. Palat | Velenio Pio Severo | ducenar. trib. sem. | leg. XXII primig. praef. | semens. coh. I classic. | patrono Aequicula | nor. Caeninensi. ma | gistr. iuvent. Trebul. | Mutuescae qui obla | ta sibi statua ab | eis honore conten | tus impensam remisit | l. d. d. d.

**36.** Trebula Mutuesca (IX 4888).

T. Petronio | T. f. Serg. Sabino | tr. mil. mag. iuvent.

**37.** Trebula Mutuesca (IX 4889).

. . . s P. f. Ser. Rufus mag. iuvent. bis | [quin] q. VIII vir. bis praef. fabrum ter.

**38.** Fragmentum Casuli repertum (Orelli 3948).

. . . . dedicata Id. Ian. | Antiochiano II et Orfito cos. | qua d. sexviris iuvenibus colle | giatis et populo utriusq. sex. . . . .

## Reg. VI Umbria.

**39.** Ameria (Orelli 4100 = 3949).

T. Petronio T. f. | T. n. Clu. | Proculo | IIII vir.

aed. p. IIII vir. | i. d. curatori lu | sus iuvenum v. eg. | iuvenes Aug. ob m. e. qui ob | statu[a]e dedicati | onem dedit iuve | nibus s. HS XXX n. | adiecto pane et | vino epulantibus | l. d. d. d.

Reg. VII Etruria.

**40.** Falerii (XI 3123).

C. Iulius C. f. Hor. Severus | sacerd. Isid. et matr. deum | quaest. alim. Caes. quaes. r. p. cur. iuv. | IIII vir aed. IIII i. d. IIII vir quinq. | hic ob honorem aedilitat. hanc | [por]ticum vetustate dilapsam | [refecit] in quam impend. mensuris | .... HS XXXIIII CCC n. d. d.

**41.** Nepet (XI 3210).

L. Aurelio .. | Victori | iuvenes Nepes | sini | Dianenses | aere conlato | l. d. d. d.

**42.** Nepet (XI 3215).

D. M. | L. Sulpicius Severus | et Sulpicia Iustina | fili L. Sulpicio Cleme | nti IIII vir. i. d. IIII vir. a. p. | quaestori arcae r. p. | Neposinor. mag. iuben. | seviro equitum praeto | ri iuventutis patri | optimo posuerunt.

**43.** Sutrium (XI 3256).

M. Anteio | M. f. Pap. Resti | tuto pr. iuv. | aedili anguri | cur. p. p. decur. | August. et pop. | aere conlato.

**44.** Alsium (XI 3723).

... us ad fam .. | [pu]blicam II ... | ... em aetiam p ... | V HS decurio[nibus V HS Augus[talibus | V HS iuveni[bus | V HS aetiam II .. | municipis piissima | munificentissima | publicae | dedicata | Severo et ... [cos.

**45.** Capua (XI 3904).

cos. | ludos et iu[venalia dederunt] | ... aevius. | D ... | .. Memmius ... | .. ius Bonades ...

**46.** Lucus Feroniae in agro Capenate (XI 3938).

M. Silio Epaphrodito | patrono sevirum Aug. | magistro iuvenum iterum | iuvenes Lucoferonenses | patrono ob merita | quod amp[h]itheatrum col. Iul. Felici[s] | Lucofer. s. p. f. dedicavitque | l. d. d. d. | h. c. i. r.

Reg. X Venetia et Istria.

**47.** Verona (V 3415).

Q. Octavio | Q. l. Pob. Primo | VI viro Aug. | sac. iuven. | Octavia Tigris pat. | coniugi b. m. et sibi | v. f. |

Quaerere consului semper neque perdere d[ona]. | nunc ab utroque vaco de casa pau[sa re] | volvit. hic mea composito requiescunt [ossa sepulcra] | et labor a puero qui mihi semper erat. nunc labor omnis [adest durus] | curaeque molest[a]e, nec scio quit num sim nec scio qu[id fuerim]. | Parva tamen nostro remanent solacia facto:· vivent qui l[audant] | , vivi quia dona fruuntur. vivite felices quibus est fortuna [relicta].

**48.** Brixia (V 4355).

Sextiae | T. fil. | Asiniae Pollae | M. Noni Arri. | Muciani colleg | iuvenum Brixian | ob merita.

**49.** Brixia (V 4416).

Collegia | fabr. et cent. | L. Cornelio | Prosodico VI vir. Aug. Brixiae et Veron. sacerd. | colleg. iuvenum Brixian. | primum institutis | ob merita eius honore | contentus impendium remis. | datis in tut. HS n. D.

**50.** Brixia (V 4459).

M. Publicio | M. f. Fab. Sextio | Calpurniano | equo publico | flam. divi Iul. | praef. aedil. pot. | quaes-

stor. aerar. | sacerd. | iuven. Brix. | defensori rei p. Brix. | collegia | centon. et fabror. | l. d. d. d.

**51.** Brixia (V 4449).

Gen. | et hon. | Primi Pam | p[h]ili Secundi | et L. Atili | Exorati | VI vir. Augg. et | M. Vettidi | Aquileiesis | VI vir. Aug. | quinquen. | et in omnib. coll. | magisterio per | functus [immo perfunctorum] d. in tutel. | HS ñ. M ut d. K. Febr. | sacrif. et in profusi | one[s] HS ñ. M Publicius? Artemi | sius qui et . . . sco | Ortensius Firmian. | Valerius Surian. et | Publicius Vitalis et | Adiacius Primian. | qui magister eor. | offic. functi sunt | magistri ss. titu | lo honoris usi | datis in tutelam | HS ñ. M | ut ex usur. eor. | quod ann. die | III Id. April. per | officiales sa | crificaretur et | oleo et prop. | dedicaver.

**52.** Brixia (V 4484).

Sex. Valerio Sex. | fil. Fab. Poblicol[a]e | Vettilliani (immo Vettilliano) eq. R. eq. p. | flamiinis perpetui sacerd. | urbis Romae aeter. cura | tori et patrono civitatium | Vardagatensium et Dripsin | atium patrono colleg. omnium | omnibus honoribus perfuncto | v. b. qui vixit sine ulla querella cum | coniuge sua infra scripta annis n. XLV | et Noniae M. f. Arriae Hermionill[a]e summa pietate ab eis dilectus avis | rarissim. Annius Valerius Catullus nepos.

**53.** Cremona (Orelli 4096).

Iuventuti Artanorum posuit collegium.

Regio XI (Italia Transpadana).

**54.** Bergomum (V 5134).

D. M. | M. Cabarsus | Patiens dedit | X̶ XX et profundi | de usuris X̶ III quot | si iuvenates eius | nec-

lexerint filio | eius retere (pro reddere) debe | bunt X XX aut | si quis heres | fuerit | posit filius.

**55.** Mediolanium (V 5664).

Nigellioni | Severi f. | ioveni.

**56.** Mediolanium (V 5742).

Herculi | Modicia | tes iovenii.

**57.** Mediolanium (V 5894).

D. M. | C. Valeri | Petroniani | decur. pontif. sacerd. | iuven. Med. causidic. | quinq. gratuit. legation. urbic. | et peregrin. pro re p. sua funct. | vixit ann. XXIII mens. VIIII d. XIIII | C. Valerius Eutychianus | VI vir. Aug. pater | fil. incompar. et sibi. In sinistro latere: EVDROMI, in dextero: Constanti EVDROMI.

**58.** Mediolanium (V 5907).

Ursiliae ingenuae quae vix | ann. VIII m. VI Ursilius Rufinus et | Domitia Severa parentes in cuius | mem. colend. deder. iuvenae Cora | gennatib. X CCCC ex quor. reditu | quod ann. tempore Parentalior. | quam et rosae coronas ternas | ponerentur et profus. suo quoq. | anno fieri quod si iuvenae | non fecerint restituer. | debeb. | vicanis Corogennatibus et illi | id observabunt.

**59.** Novaria (V 6515).

Alfolloni IV vir. iur. dic. | pat. coll. cen. pat. iuvenum | D. M.

**60.** Augusta Taurinorum (V 6951).

Genio | M. Isuni | Proculi | sodalic. | iuven. | patrono.

**61.** Aquileia (V 8211).

ab una parte: ab | Ise et | Serap. | deo. ab altera: m. | iuven. | mag. vi. | I.

### Hispania.

**62.** Nescania (II 2008).

Iovem Pantheum Aug. | cum aede et tetrastylo solo privato? | L. Calpurnius Gallio et C. Marius | Clemens Nescanienses cu | ratores iuvenum Laurensium | d. d. K. Iulis P. Septumio Apro | M. Sedatio Severiano cos.

### Aquitanica.

**63.** Aginnum Nitiobrigum (Orell. 4097).

Dis Manibus | iuvenes a fano | Iovis | sibi et suis.

### Alpes maritimae.

**64.** Vintium (XII 22).

P. Aelio Pamphilo | Calpurnia Pam | phile patri | merentissimo | posuit | ad quod opus | collign. iuvenum | Nemesiorum | impendium dedit.

### Germania.

#### Hassia Cisrhenana.

**65.** Mainz (Brambach n. 1000).

(Iovi O. M.?) | et Genio iuvent | utis Voberg | ens. T. Genialinius | Crescens v. s. l. | l. m. Anullino II et Frontone | cos.

**66.** Zahlbach (prope Dahlheim) (Br. 1138).

I. h. d. d. | Genio collegi | iuventutis vici | Apolliensis Acutius | Ursus et Acutia Ursa | donum dederunt | imp. [Caes. M. Aurelio A | ntonio Pio Felici | Aug. III] et Coma | zonte | cos.

#### Ober-Hessen.

**67.** Altenstadt (Br. 1410).

In h. d. d. | Genio | col[l]egi | iuventutis | Cons . . At[t]i. et Pr[a]e | textato cos.

### Württemberg Jagstkreis.

**68.** Öhringen (Br. 1551).

[Iovi optimo maximo pro salute imperatoris Caesaris Marci Aurelii Severi Alexan] | dri collegiu | m iuventut | i[s] devotissim | i numini eius | sacrant K | al. Nov. imp. S | evero Alexa | ndro Aug. cos. .

### W. Neckarkreis.

**69.** Neuenstadt a. d. Linde (Br. 1612).

Varucius R[ortio Apuleius] Aquinus Natalius | Victorinius Ursianus | Maternius Aeternus | [Genio] iuventutis Su[melocennensis].

### W. Schwarzwaldkreis.

**70.** Rotenburg (Br. 1629).

Deanae | in h. d. d. pro iuventute | c. Sum. Iul. H[e]r | mes f. c.

### Dalmatia.

**71.** Narona (C. I. L. III 1828).

D. M. s. | L. Annaeo Palaestric. | IIIIII | vir. | thiasus iuventutis | fec.

### Pannonia superior.

**72.** Poetovio (C. I. L. III 4045).

Pro salute collegi | iuventutis et Ulp. Marce | llini et Ael. M[a]rcelli | praef. et Maximi et Ursi | patres (immo patrum) Gell. Marcelli | nus et Pant. Tertius | et Ael. Valerius q. q. | coll. ss. ex voto | posuerunt | . . . . . . ino Marcellinus Valerius.

**73.** Brigetio (C. I. L. III 4272).

Herc. invict. | pro s. Aug. | Ael. Martin. | mag. coll. iu | vent. ob hon. | col. ssi | d. d.

## Noricum.

**74.** Virunum (C. I. L. III 4777).

Eponae | pro sal. | Augg. | iuven[es] . . . . ab altera parta: [Epo]nae | [pro s]al. Aug. [iuvenes] col. M . . .

**75.** Virunum (V 4779).

Genio | Aug. sacr. | iuventutis | Manliensium | gentiles qui | consistunt | in Manlia in hoc | donum dedit Campanius Acutius HS n. C.

**76.** Lauriacum prope Enns (V 5678).

Nymphis | Aug. sac. | Mal. Vica | rius et | Val. Crisp | inus aed. | col. iuvenum | v. s. l. m.

## Vita.

Natus sum Antonius Floss Rhenanus Coloniae Agrippinensium a. h. s. LXV mensis Octobris die XXVII patre Antonio, matre Gertrude e gente Schueller, qui dira morte mihi erepti sunt. Fidem profiteor catholicam. Litterarum rudimentis instructus in gymnasium Friderico - Guilelmo dedicatum receptus sum. Vere anni LXXXVII maturitatis testimonium adeptus Bonnam petii philologicis studiis operam daturus. Die XI mensis Februarii anni LXXXXIII examen pro facultate docendi superavi et die XXX mensis Novembris anno LXXXXVI in universitate regia Erlangensi examen quod dicunt rigorosum. Nunc in gymnasio Urbano Coloniensi magistri munere fungor. Omnibus viris doctissimis, qui me in studiis adiuverunt, gratias ago quam maximas.




AH 7918.97
De collegiis iuvenum quaestiones ep
Widener Library 004847094
3 2044 080 873 946